

# DE MYTHIS PLATONICIS

IMPRIMIS

## DE NECYIIS.

Inter veteres graecae linguae scriptores, qui ab antiquissimis temporibus lectioni iuventutis litterarum studiosae commendabantur, primum locum dialogi Platonis obtinebant. Quotquot enim viri docti aut ipsi philosophiae laude in clarescere aut plus quam humana sapere voluerunt, ii, litteris ex diuturnis sordibus ad pristinum suum splendorem et dignitatem restitutis, aut suae sapientiae rivulos a perenni illo divinae fere sapientiae fonte derivabant aut, quicunque suae institutioni traditi erant litterarum alumni, eos in iucundissimos Platonis hortos et sanctissima Academiae quasi delubra invitabant. Quod suo iure fecisse videntur homines sapientissimi, non quo adolescentium puerorumve aetatulam instruere vellent et fere armare ditissimis reconditae philosophiae Platonicae opibus, veluti idearum doctrina, sed quod orationem Platonis, quem praestantissimum poetam non minus quam suavissimum rerum scriptorem esse sciebant, mirifice allicere iuvenum animos intelligebant et suavitate sua et simplicitate, et puritate vere Attica ita tenere, ut si qui interiorem cum illo contraxissent familiaritatem iuvenes generosiores, illi opera eius de manibus deponere nollent. Admodum autem placere debebat vel mediocris ingenii adolescentibus cum propter alias virtutes, tum propter summum, quo Plato excellit, veritatis studium, in quo omnem verae et genuinae philosophiae rationem et fere vitam esse fatetur. Haec enim est cuiuscunq; philosophiae vis et potestas, ut ὥπαρ ἀντ' ὀνείρων (Plat. Polit. 278. E.) h. e. ut verum pro viso hominibus existat; eo spectant omnia, ut repudiatis umbris res exquirantur atque mortales e somniorum tenebris in veritatis lucem protracti τὸ ἀτὶ ὄν assequantur et τὴν ὄμοιώσιν τῷ θεῷ. (de Rep. VI. 485. A. X. 613. A.) Ecquis vero adeo expers humanitatis est, ut ignoret Platonem ab omni aevo celebratum esse non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimum auctorem et magistrum, h. e. eundem et philosophiae et eloquentiae doctorem. Coniungit enim philosophia Platonica simplicitatem Socraticam cum Pythagorae sublimitate, dialecticorum subtilitatem cum poetarum elegantia et magnificentia <sup>1)</sup>). Quid igitur mirum,

1) In ihm sprach sich der poetische Charakter der Griechen philosophisch aus. Nur ein so durchaus poetisches Volk konnte einen Plato hervorbringen. Heeren Ideen T. III. p. 1. in: Histor. Werke T. XV. p. 374.

quod, quemadmodum dicendum sit, cum ab aliis Peripateticis discendum esse ait Cicero, quorum in doctrina atque praceptis disserendi ratio coniuncta sit cum suavitate dicendi et copia, tum imprimis Platonem omnium, qui unquam scripsérunt, eloquentissimum esse iudicat<sup>2)</sup>. Fatetur etiam, se oratorem, si modo sit aut etiam quicunque sit, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis extitisse. (Cic. Orat. 4.) Qua re quum quicunque post Platonis aetatem litterarum laude excelluerunt, veluti Xenophón tum in orationibus, quae e Socratis disciplina fluxerunt, tum in scriptis historicis, et qui eius dotes imitari studuerunt, Ephorus, Arrianus omnia sua Socrati et fere Platoni debere faterentur, tum imprimis Demosthenes totus fere est Socraticus. Neque post eum defuerunt oratores omnium gentium principes, qui ad publice dicendum, ad causam veritatis ac iustitiae propugnandam Platonis lectione multum se profecisse dicerent<sup>3)</sup>. Ubi enim in tota antiquitate inveniatur scriptor, apud quem poesis ita temperata sit philosophandi subtilitate, philosophia poesos luminibus ita distincta et exornata<sup>4)</sup>? Qua re si cui Plato philosophus sublimior

2) Cic. Brut. 31. extr. *Quis enim uberior in dicendo Platone? Jovem sic aiunt philosophi, si Graece loquatur, loqui.* Quod idem dicit Dion. Hal. in Judicio de Demosth. XXI. p. 289. οὐδὴ δὲ τινῶν ἡκουσας ἔγω λεγόντων, ὃς, εἰ καὶ παρὰ τοῖς θεοῖς διάλεκτός ἐστιν, ή τὸ τῶν ἀνθρώπων κέχονται γένος, οὐδὲ ἄλλως διαστιλεύεται Ζεὺς, ή ὁς Πλάτων.

3) Vide quae de hac re doctissime disputavit Heusdius in libro optimae frugis pleno: *Initia philosophiae Platonicae* (Traiecti ad Rh. 1831.) Vol. II. P. 1. p. 119. At dicat fortasse aliquis, qui Gorgiam v. c. 527. A. legerit, vituperare Platonem oratores et ridere eos. Sed ita eos rideat, ut Cicero de Orat. I. 11. eum in irridendis oratoribus sumnum ipsum fuisse oratorem dicat.

4) In Phaedro, ut eum potissimum memorem, quum plurimos memorare possim dialogos, quis non videt philosophari poetam, in Symposium autem quis non audit philosophum canentem et ferc vaticinantem. Neque alia de causa, nisi propter summam dicendi copiam et varietatem, qua modo ad poeticam sublimitatem effertur oratio, modo suavissima simplicitate legentium animos delectat, ii etiam Platonis dialogos, quippe qui optime post poetarum, imprimis Homeri, lectionem juveniles animos ad pedestris orationis gravitatem praeparent, puerorum manibus tradi volunt, qui alioquin totam veterum philosophiam, ut puerilia ingenia nimis exercentem vel adeo fatigantem, e scholis pellendam esse censem. Homericorum autem carminum lectione finita non facile alius inveniatur scriptor, qui puriorem praebeat voluptatem et generosijorem. Qua re rectissime Arnoldius in libro recens edito: *Platon's Werke einzelnu erklärt und in ihrem Zusammenhange dargestellt.* Berlin 1835. Erstes Heft. p. 43. dicit: *Wir wenigstens erinnern uns nicht, wie sehr wir uns auch immer der Gaben der Poesie erfreut haben, bei wiederholtem Lesen eines dichterischen Kunstwerks einen so reinen, tief ergreifenden, nachhaltigen und behaglichen Genuss gehabt zu haben, als bei diesen künstlerisch-philosophischen.* Quid quod Chesterfieldius filio suasit, ut spredo Homero, Anacreonte, aliis intento studio suminorum ingeniorum, Platonis, Xenophontis, Thucydidis, Demosthenis opera legat. Quod F. A. Wolfio, egregio magistrorum magistro et ipsi ingeniosissimo Homericorum carminum sospitatori tanti essa visum est, ut non omnes veteres scriptores classicos esse demonstratus prudentissimi Britanni verba laudarit. Cf. F. A. Wolf über Erziehung, Schule, Universität („Consilia scholastica“). Aus Wolf's literar. Nachlass zusammengestellt v. W. Körte. Quedlinb. 1835. S. 116. N. 23.

videatur aut difficilior, quam qui cum fructu adolescentium lectioni commendetur, quippe qui aegre capiant divini vatis effata, at Plato poeta dignus est, quem summo studio legant et relegant generosioris indolis iuvenes. Atque est profecto poeta. Nam non colloquia scribit, qualia Xenophon e quotidiana vita repetita plurima a Socrate habita esse singit cum tenuioribus hominibus, sed sunt dramata, ad lepidissimorum mimorum, quibus Syracusani imprimis delectabantur, et iucundissimarum Aristophanis fabularum similitudinem summa cum arte expressa et concinnata. Ita enim mimos illos, imprimis Sophronis, aut filii eius, Xenarchi, quos primus Syracusis detulisse dicitur Athenas, in delicius habebat, ut maior octogenario illos pulvinari suppositos haberet, in quo obdormientis os illud divinum, ut ait Valckenarius, reclinabat<sup>5)</sup>. Aristophanis autem fabulas et tota vita lectitasse et moribundus etiam pervolutasse fertur. Unde fit, ut Platonis dialogi exhibeant humanae vitae imaginem temporumque effigiem, ut virtutes et vitia exprimant, ut egregie depingant iuvenum indoles et studia. Quales sunt apud Euripidem Ion, Hippolytus, Achilles, tales apud Platonem Phaedrus, Alcibiades, Glauco<sup>6)</sup>. Qua re Astius Platonem in *Protagora* et *Phaedro* comici, in *Phaedone* tragicorum poetarum partes sustinuisse dicit et ipsum se, quod in *Symposio* omnium poetarum esse oportere contendat, praestantissimum tum *comoeiarum*, tum *tragoeiarum* exhibuisse scriptorem<sup>7)</sup>. Quid quod, quum in *Symposio* summam facilitatem et festivitatem, in *Phaedone*, qui omni quamvis flebili tragodia efficacior est ad doloris misericordiaeque sensus excitandos, maximam animadvertisimus gravitatem et affectum, *Symposion* *comoediae*, *Phaedonem* *tragoediae* finitum esse nostro iure dicimus. In ipsis enim illis dialogis inveniendis et ad dramatum similitudineam conformandis quam maxime conspicuum sit poeticum Platonis ingenium. Nam dialogus, qui hoc nomine dignus est, quique non vulgare aliquod colloquium

5) Vide *Theocriti, Bionis et Moschi Carmina c. comment. integr.* L. C. Valckenarii. Berolini, 1810. Vol. II. p. 9. et quod paulo ante dicit vir doctissimus: *omnium studiosissime lecti tabat Sophronis mimos, sic ut illos in dialogis convenientia cuique personae tribuendo velut exemplar optimum exprimeret imitando.* Eumque ita imitatus est, ut in reprehensione adeo venerit Athenaei, qui Deipnosoph. XI. 505. B. queritur, e civitate electum esse Homerum *καὶ τὴν μιμητικὴν ποίησιν, ἀντὸς τοὺς διαλόγους μιμητικῶς γράψας, ὅν τῆς ἴδεας οὐδὲ αὐτὸς εὑρετής ἔστιν.* Cf. Schlosser *universalhistor. Uebersicht der Gesch. der alten Welt u. ihrer Cultur.* T. I. P. 3. p. 273. 278.: *Jeder Dialog ist eine Art von Drama, jeder hat neben dem philosophischen Zwecke noch einen poetischen, und jede einzelne Person, wie ganze Menschenklassen sind wie in einer Komödie oder Tragödie nach dem Leben gezeichnet,* atque Heusdil *Init.* T. II. P. 1. p. 141.

6) Addit suis personis, ut alter Homerus, epitheta ornantia eaque perpetua. *Phaedrus* enim ei est ὁ φιλόσαλος, ὁ φιλόμουσος, ὁ ἐφωτικός, *Theaetetus* autem ὁ φιλομαθῆς, ὁ φύσει φιλόσοφος, *Socrates* in *Phaedone* ὁ δίκαιος, *Parmenides* δεινὸς ἄμα αἰδοῖος τε. Quae epitheta iuvenibus Platonicae sapientiae studiosis καλοῖς illis τε καὶ ὕγαθοῖς non poterant non addere stimulus fortissimos. Atque ipse Legg. VII. 817. B. ἡμεῖς δέ, inquit, τραγῳδίας ξομέν αὐτοὶ ποιηται κατὰ δύναμιν δι τακτοτην ἄμα καὶ ἀριστην.

7) Vide Astius in *Platons Leben u. Schriften* p. 157.

reddit, qua demum alia re diversus est ab inani mulierularum confabulatione, nisi propria illa dramatis natura et ratione, qua subito in medias res inducimur, et ipsi nostris oculis videmus humanissimos viros aut in opacae arboris umbra recubantes, aut in spatiis Academiae hortis deambulantes, aut cum amicissimo Socrate in carcere considentes, et audimus ipsum illum sapientissimum magistrum vel de gravissimis rebus leniter sermocinantem, vel festivos iocos iucundissimosque verborum lusus subtilissimis disputationibus admiscentem, et instante etiam tristissima mortis necessitate hilariter colloquentem. Accedit, quod fere ubique quotidiani sermonis, quo quidem elegantiores homines uti solent, gratam negligentiam servat, unde colloquia eius naturalem quandam colorem accipiunt et audiunt aures mirifice alliciunt<sup>8).</sup>

Quae quum ita sint, Platonici dialogi formam tamquam optimam de subtilissimis rebus disserendi disputandique exemplar imitati sunt plurimi, qui posteriorum temporum memoria extiterunt viri elegantioris iudicii, ut Plutarchus in libro de Sera Numinis Vindicta, ut Lucianus, ut Cicero, qui quidem Aristoteleo more se dicere profitetur, nullus vero eum assecutus est: nisi quis Lucianum propterea Platonicum genium referre putat, quod divina et humana miscens, risum movet Atheniensium, sed in illa re longe diversus a Platone habendus, qui, quod unum comicorum esse potest, spectat, *ridendo dicere verum*<sup>9).</sup>

8) Quid enim communi hominum sermoni proprius esse potest, quam iucundissima verborum, quae in Gorgia 523. C. leguntur, negligentia οἱ κριτέμενοι χαλκοτάταις ζώντες γὰς χαλκοτάται, et lepidissimus ille verborum lusus, qui est in Rep. X. 614. B. ἀλλ' οὐ μέντοι τοι Ἀλέξιον γε ἀπόλογον ἔρωτα, ἀλλ' εἰπίουν ἀνθρώποις. Cui demum non placeat Homeridarum lusus, quem suum facit Plato, quo Amor ab hominibus ἔρωτας, a Diis vero πτέρως vocatur διὰ πτεροφύτος ἀράγχην, qui est in Phaedro 252. B., ubi nunc nemo dubitat, cum Heindorfio et Astio legere πτεροφύτοις pro πτεροφόροις, quod Suidas habet. Atque in egregia illa de Amoris parentibus narratione, quae legitur in Symp. 203. B., pauper quidem est Amor, quippe πτερία matrem habens, sed tamen πορφύρας omnia, quippe patrem πόρον referens. Multi praeterea, si cui haec non sufficient, proferri possunt exempla, imprimis Phaedro, in quo, quum Plato eum scripsert iuvenis, exultat ille et ferocit fluvii instar super ripas effusi; nam molli flumine et temperato et aquabili profluit oratio in Phaedone et in Symposium, quos dialogos senex confecit.

9) Vide Heusdii Init. Tom II. P. I. p. 140., qui quidem iusto severius de Platone iudicat. Nam magni aestimavit Platонem, quamquam ei hic illuc gloriam suam magnumque nomen invidere visus est. Non ipsum Platонem, sed degeneres sui temporis Platonicos acerbe perstrinxit. Vide C. G. Jacobi, viri mihi amicissimi, librum: *Charakteristik Lucian's von Samosata S. 81.* et qui luculentissime de rationibus Luciani et veterum philosophorum disseruit, C. Fr. Hermannum in censura libri illius, quae legitur in: *Allgemeine Schulzeitung* 1832. Nr. 100. 101. Sin autem vir doctissimus Demosthenem vim illam et alacritatem, quibus ita instructae sunt disertissimi hominis orationes, ut eas non legere nobis videamus, sed audiamus oratorem loquentem, interrogantem, respondentem, cohortantem et hauriamus quasi auribus propria divini oratoris verba, uni Platoni debere dicit, vereor ne iusto plus illi tribuisse putandus sit. Fecit enim Demosthenem oratorem natura et vita, formavit ratio et disciplina, accessit postremo Platonicorum operum assidua lectio.

Jam vero docte et subtiliter de rebus gravissimis et sanctissimis disputaturus quum, quaecunque ipse, vir divina fere ingenii et acuminis vi instructus, meditando assecutas esset, ea intelligi vellet et percipi mediocrum hominum mentibus, ad imagines et comparationes confugere debebat et allegoriis uti et fabulas tum a se, tum ab aliis inventas in subsidium vocare<sup>10)</sup>. Nefas putabat homini de Deo rebusque divinis nisi per metaphoras et imagines loqui vel existimare. Summa igitur cum verecundia mortales adire iubet sanctissimum veritatis templum, cui, ut Aegyptiaco illi templo, inscriptum est: ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονός καὶ ὅν καὶ ἔσομενον καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδείς πω θυητὸς ἀπεξάκουψεν. (Plut. de Isid. et Osir. 354. C.) Verumtamen erant alia, quae accuratius considerata omnium oculis proponenda, alia autem, quae mythorum involucris, veluti nubibus nimium solis splendorem mitigantibus obtegenda esse censebat. Ex hoc genere sunt egregiae illae comparationes, per quas sumمام hilaritatem aequabiliter diffusam intelligimus de sophista et piscatore, Soph. 221. C. sqq., de arte textoria, Politic. 279. B. sqq., aliae. Huc referendae sunt fabulae ab aliis inventae et ad Platonis usque aetatem propagatae, quas ita in suum usum convertit, ut sensum inde suis placitis accommodatum vel ampliorem et augustiorem, vel interiorem et magis reconditum eruerit. In quo simile quid fecisse videtur atque reliqui illius aetatis philosophi, qui fabulas ab antiquitate traditas pro suo consilio mutarunt, exornarunt, illustrarunt, quemadmodum poetas scenicos easdem varie mutasse et ad suum usum accommodasse scimus. Atque hoc vere a nobis disputari quis est, qui neget, qui diligenter locum Theaetet. 152. D. — 153. D. legerit, ubi praestantissimam Homeri narrationem de torque aureo (Il. VIII., 18), quem ipsum solem esse dicit, ita interpretatur Plato, ut Homerus ipse vix quemquam facturum esse potuit suspicari<sup>11)</sup>.

Neque, qui postea extiterunt rerum humanarum et divinarum doctores, sive Socratis et Soeraticorum, sive alia qualiacunque exempla secuti, spernebant eiusmodi comparationes et imagines et quasi picturas. Totus enim fere, qui Aristotelis esse dicitur, de Mundo liber, quem aureum libellum vocat Lipsius, eiusmodi imaginibus continetur. Describitur enim summus mundi rector tamquam imperator, qui exercitu instructo et signo pugnae proposito ad arma provolat, vel ut choragus, qui diversas virorum mulierumque voces eorumque sonos et graves et acutos suo moderamine ad iucundissimum temperat concentum. (Aristot. de Mundo c. 6. p. 15.) Et

10) Plat. Polit. 277. D. χαλεπὸν μὴ παραδεῖγμασι χρώμενον ἵκανως δυσείρυθθατ τι τῶν μειζόνων.

11) Ne eas quidem fabulas repudiat, quae antiquis temporibus inventae, Sophistarum ingenii auctae atque exornatae in ore vulgi erant, veluti optimam de Prometheo et Epimetheo narrationem, quam a Protagora ad imitationem fabulae Hesiodeae de Prometheo et Pandora Theog. 535. sqq. confictam Prot. 320. D. non dubitavit suam facere. Cui demum etiam me non monente non statim in mentem venerit egregia Prodi de Hercule in bivio fabula, a Xenophonte Mem. Socr. II. 1, 21. perquam laudata et praedicata, et a Boettigero magna cum doctrina explicata in libro suo: *Hercules in bivio* (Lips. 1829.) p. 11 — 18.

multo post Maximus Tyrius (Diss. XVI. 299. ed. Steph.) inter Platonis imitatores, qui quidem altero p. Ch. n. saeculo floruerunt, non ultimum locum obtinens praesentem conditionem nostram nocti, mentem autem imperatori milites dormientes Homeri verbis e somno excitanti confert.<sup>12)</sup> Quid quod Zeno, Eleaticorum philosophorum princeps, non contentus comparationibus, imaginibus, narrationibus ex quotidiana vita usu repetitis placitis suis aut fidem facere aut lucem clariorem adsperrgere, ad signa, ad gestus, ad manuum digitorumque vel porrectionem vel contractionem configiebat<sup>13).</sup>

Qui imaginum, allegoriarum, exemplorum usus in eiusmodi rebus exponendis, quae, quamquam sub sensus cadentes, aegre tamen ab hominibus, quales multi sunt, percipiuntur, quum ab omnibus probetur, tamen in explicandis rebus gravioribus et angustioribus parum aptus Platoni videbatur. Multa enim sunt in philosophia, quae ut mathematicorum inventa argumentando demonstrari non possunt. Atque quum doceat philosophia effugere mundum ὄρατον et escendere εἰς τὸν τόπον υπεροντάνιον (Phaedr. 247. C.) ad mundi νοητοῦ adspectum, tamen periculum est, ne oculi mortales perstringantur aeterna veritatis luce. Paullatim adsuescunt splendidarum rerum et formarum contemplationi post iucundum inanum umbrarum adspectum. Accedit verecundia Platonis non omnia scientis et recte intelligentis, verum suspicantis nonnulla et divina quasi mente augurantis et vaticinantis<sup>14)</sup>, de gravissimis autem rebus, v. c. de rerum universitate deque sapientissimo eius auctore, cum summa modestia et nonnisi rite imploratis diis deabusque omnibus dicentis<sup>15)</sup>.

Eiusmodi autem clariora divinae sapientiae lumina quum mythorum fabularumque integumentis involuta procul esse vellet a magna hominum multitudine, allucere vero et invitare optimos quosque, ut altius evolarent ad divites interioris philosophiae

12) Neque etiam quotquot nostra aetate floruerunt philosophi, sapientissimi aequalium doctores atque magistri, non usi sunt eiusmodi imaginibus. Satis est pro multis Kantii (*Kritik der reinen Vernunft* p. 294. ed. Riga 1787.) insulas mari tempestatisibus agitato circumfusas commemorare, non quo caeteris praestantior sit imago vel ingeniosius excogitata, sed quod colorem vere Platonicum habet et nescio quam cum illis imaginibus, quibus Plato saepe utitur, similitudinem atque cognitionem.

13) Ex hoc genere est lepida visus, assensus, comprehensionis, scientiae denique per manus significatio, quam Cicero Acad. Quaest. II. 47. describit, in qua quidem nescio quid puerile esse videtur. Perinde enim Zeno facere videtur, atque homines in Platonis Cratyllo 422. E. sqq., qui quum nec vocem nec linguam, velint tamen cogitata sua declarare et cum aliis communicare, mutorum instar, manibus et capite et reliquo corpore significant, quod sentiunt.

14) Plato de Rep. VII. 517. B. τὴν δὲ ἄγων ἀγέρασιν καὶ θέλων τῶν ἄγων τὴν εἰς τὸν νοητὸν τόπον τῆς ψυχῆς ἀνοδον τιθεῖσι οὐκ ἀμαρτήσει τῆς γράμμης ἐλπίδος. Θεὸς δὲ που οἶδεν, εἰ δληθῆς οὖσα τυγχάνει τὰ δούλη έμοι φαινόμενα οὕτω φαίνεται.

15) Plat. Tim. 27. C.

fructus percipiendos<sup>16)</sup>, non debuit ille poetarum vestigia premere<sup>17)</sup>? non debuit in iis cum condendis, tum mira cum arte exornandis et enarrandis ingenio aliquid dare et poeticæ suaे indoli indulgere? Poetam vero quum nonnisi ii recte intelligent, qui ipsi aliqua poetica facultate instructi sunt, abiliant Platonis opera, quicunque tardioris ingenii velocem divini vatis volatum sequi non possunt et omnia eius dicta et effata, quum ipsi humi serpent, humum trahere cupiunt<sup>18)</sup>, vel etiam vituperant eum, quod poetico furore actus, quo ipsum πνεῦμα φέρει (de Rep. III. 394. D.), se abripi patitur. Nolunt illi homines aureae mediocritatis studiosi admirari, non intelligentes, omne philosophiae initium ab admiratione et esse et fuisse<sup>19)</sup>. Nam qui admiratur, dubitat idem; qui dubitat, se ignorare putat; qui vero ingeniosior est, scire vult quaecunque ignorat; hoc vero est philosophorum; caussis vero rerum recte perceptis id demum efficitur, ut ne quid miremur. Recte igitur Plato in mythis cum inveniendis et enarrandis, tum cum summa rerum arce connectendis et copulandis et ipse poetica laude floret et poetarum, imprimis Homeri, felicissimus celebratur imitator. Quemadmodum enim ipse divini poetae immortalia carmina laudibus effert et Iliadem et Odysseam dramata appellat, (de Rep. III. 394. B.): ita ipse ὁ ὄμηρος φιλόσοφος non semper ratiocinatur et docet, sed singit interdum et canit<sup>20)</sup>, figmenta autem sua verbis et epithetis ita ornat et amplificat, ut

- 16) Fuit haec quoque pars veteris illius et ingeniosae sapientiae, uti imaginibus et quasi picturis talibus, quarum suavitate homines ad bene cognoscendum et alicerentur et adiuvarentur. Sunt verba J. A. Ernestii in prolusione de antro Platonis in A. Mattheiae Eloquent. Lat. Exempla. p. 268.
- 17) Confer, quae egregie, ut solet, de mythis disputat Creuzer in: Symbolik u. Mythol. d. alten Völker T. I. p. 114. ed. 1810.: *Der Mythus verließ den niedern Boden der Wirklichkeit, erhob sich mit dem Rhythmus der Poesie und ward auf der tragischen Bühne das Mittel idealischer Schöpfungen. Wir dürfen uns daher nicht wundern, daß auch Plato die höchsten Resultate seines Philosophiren im Mythus niederzulegen liebte.* Adde, quod Plutarchus de Genio Socr. 589. F. in Platonis mythis, summan veritatem dicit *attingere poeticam fictionem*. Scripserunt praeterea de mythis Platonici: J. A. Eberhardus, philosophus Halensis, in collectione sua: *Vermischte Schriften* S. 220. sqq. et A. Marx in: *Eleutheria oder Freyburg. lit. Blätt. Vol. 2.* p. 167 — 200. p. 273 — 306.
- 18) *Wer sich nicht in jene höhern Regionen nachschwingen kann, wer nicht, was er selber oft mehr ahndete als wußte, in der Hülle der Mythen mit ihm zu ahnden versteht; — der mag viel Gutes und auch manches Wahre über Plato sagen; ihn darzustellen, wie er ist, ihn ganz und gerecht zu würdigen, vermag er nicht.* Verba Heerenii in Ideen T. III. P. 2. in Werke L. XV. p. 373.
- 19) Nobilissimum Horatii Epp. I. 6, 1, dictum *nil admirari secuti beati et fieri et esse volebant homines illi, quamquam Aristoteles Metaph. I. 5. φιλούσονς philosophos nominat, μῆδος vero mirabilibus constant.* Cf. praeterea Heusdii Init. Vol. II. P. 3. p. 72.
- 20) Post ingeniosam enim Heindorfii interpretationem nobilissimi loci de Rep. III. 398. A. non vereor futurum esse quemquam, qui Homerum a Platone e civitate electum esse putet. Locus enim a viris doctis perperam intellectus, in quo etiam Astium ironiam quandam suspi-

Homerum ipsum canentem divinaeque lyrae chordas docta manu pulsantem audire nobis videamur. Praeclara est in eiusmodi locis verborum magnificentia, imaginum splendor, dicendi copia cum descriptionis quadam ubertate et ἀξοτεσίῃ coniuncta<sup>21</sup>). Poetico furore agitatus non facile intra fines sola mente constitutos continetur, sed in campum apertum lactus excurrit et huc illuc vagatus aegre temperat cursum audacem<sup>22</sup>).

Quum autem homines et poetam esse Platonem et poetarum imitatem intellexissent, dici vix potest, quanta sedulitate fontes perquirere coeperint, ex quibus philosophorum princeps ornamenta sua poetica hauserit. Neque satis habebant Homero, vel Pindaro, vel Tragicis, vel denique Orphicis vatibus sua vindicare, sed quem poetam quisque eorum maxime amabat, ab eo plurimum Platonem accepisse

catum esse miror, non Homerum vituperat, sed malos Homeri imitatores. Neque adversatur huic sententiae Cic. Tusc. Quaest. II. 11.

- 21) Huic omnia accurate describendi et quasi depingendi studio, quod maxime epicorum poetarum est, insularum, ab aere circumfusarum, in propinquitate terrae continentis sitarum, commemorationem attribuendam esse censeo. Nam ipsius illius splendidioris et purioris terrae adumbratio Platoni consilio satis esse potuit: quamquam Graeci et ipsi insulas incolentes terra continentis descripta insularum quoque mentionem fieri oportere putabant. Neque quisquam desiderabit in superiori illa Deorum sede, quocunque ad vitae usum utile, nedum necessarium esse possit. Quid quod huc pertinere videtur diligentia vere epica, qua in Gorgia 526. C. D. iudices inter defunctos ius dicentes describit, quorum duo Rhadamanthus et Aeacus virgas (ad similitudinem iudicium Atheniensium, cf. Wachsmuth *Hellen. Alterthumskunde Th. 2. Abth. 1. p. 315.*) manibus tenentes adstant, Minos vero solio sedet aureumque sceptrum gestat, quippe quem iam Ulysses viderit χρύσεον σχῆπτρον ἔχοντα, θεμιστεύοντα νέκυσσιν. Od. XI. 567. Fuerunt tamen doctissimi viri lique poetico sensu imbuti, v. c. Heindorfius, qui hunc locum Platone indignum esse censerent. Cf. *Plat. Dial. Sel. ed. Stallbaum. Vol. II. Sect. 1. p. 264.* At non cogitabant, esse epicorum poetarum, quoscumque in scenam producerent aut Deos, aut heroas, aut denique homines, hoc modo describere. Et maior quoque est sedentis Minois dignitas atque maiestas, qui τὰ πρεσβεῖα ἔχων reliquorum iudicium sententias aut ratas habet aut tollit. Obversabatur fortasse Platoni simulacrum Jovis solio sedentis, quale a Phidia Homericum Jovem auro et ebore exprimere co[n]nenti formatum erat.
- 22) Quae accurata epicorum poetarum imitatio quum in omnibus fere locis mythicis conspicatur, cavendum est, ne nimis urgeamus epitheta quae dicuntur ornantia. Quemadmodum enim Homeri epitheta qui posterioribus temporibus vivebant homines non ad unguem interpretabant eorumque grammaticam explicationem, quam ipsi ne norant quidem, doctorum virorum disquisitionibus relinquebant, satis habentes amplam quandam nec satis certam et accuratam notionem adiungere οὐλῷ στείρῳ, μερόπεσσι βροτοῖσιν, aliis, in quibus interpretandis praestantissimorum et veterum et recentiorum Grammaticorum ingenia desudarent, ita Plato quoque omnia sua ad unguem intelligi noluit. Qua re, ut hoc utar, satis erat in loco Phaedon. 113. C., ubi Plato de colore quarti fluvii, Stygi, dicti, agit, quem οἶον ὁ κυανὸς fuisse dicit, de obscuro aliquo colore, doloris tristitiaeque signo, cogitare, non autem, quod Fischerus fecit, de coeli marisy aut gemmarum aut pretiosorum lapidum colore docte disputare.

contendebat<sup>23)</sup>. In sequiore aetate erant etiam philosophi, qui mythorum inventio-  
nem et usum ad res, quae vulgi intelligentiam excedere videbantur, si non subtiliter  
explicandas, at indicandas valde vituperarent. Ridebant illi Platonis commenta, civi-  
tates Platonicas, leges Platonicas, amorem denique Platonicum, ut inania aegrotantium  
somnia et vanas poetarum fictiones parvi facientes. Vix enim aliter fieri potuit,  
quam ut homines, qui toti fere erant in ratiocinando, concludendo, demonstrando,  
non intelligerent Platonem, utpote non multo sudore littus arantem, sed relictis  
huius mundi vaporibus in purum aetherem et ad beatas Deorum immortalium sedes  
pernicibus aliis evolantem. Hoc imprimis faciebant, quotquot posteriorum temporum  
philosophi ab aurea Platonis aetate, qua si non poetis ducibus, at philosophis inter-  
pretibus Dii inter homines versabantur, longe remoti et Graecarum Romanarumque  
litterarum expertes Platonem aequa atque universos poetas contemnebant<sup>24)</sup>.

Quod si in iis mythis, qui faciliores sunt ad intelligendum, factum esse dolemus,  
mirarine debemus idem in maioribus et gravioribus accidisse? Qui autem graviiores  
sunt, quam qui de animarum post hanc vitam statu agunt, qui pulchriores, qui deni-  
que magis poetarum ingenii exornati? Ex antiquissimis enim temporibus quum  
homines de statu post hanc vitam futuro cogitare coepissent, docebant oportere  
animas corporibus relictis longa et diuturna itinera suscipere et multa variorum  
animantium corpora induere. Quod quum iam ex Orphei poesi repetendum esse  
censeat Creuzer, placuit id omnibus omnium temporum poetis atque philosophis.  
Sic Pindarus Olymp. II. 23. animas nonnisi ter vitae cursu pie et honeste peracto  
exploratas ad beatorum insulas pervenire canit. Similia tradit Virgilius Aen. VI. 735.,  
reliquos enumerare longum est<sup>25)</sup>. Quam notionem qui postea floruerunt philosophi  
non exornarunt, sed accuratius descripsérunt subtiliusque de ea disputatione<sup>26)</sup>.

23) Sic Origenes adv. Celsum VII. p. 715. Platonem in descriptione superioris terrae pretiosis  
lapidibus splendidae, quae est in Phaedone 110.E, Jesaiam prophetam, et ipsum vatem di-  
vino spiritu afflatum, imitari voluisse dicit. Cf. *Platonis Phaed.* ed. Wyttensbach. p. 307.

24) Neque soli homines indocti vituperabant, quod non intelligebant, sed etiam Aristoteles, qui  
Platonem quodammodo poetarum sublimitatem magis affectasse, quam philosophorum sub-  
tilitatem secutum esse sciebat, principem philosophorum de ideis disserentem dicit *τενολο-  
γεῖν ται μεταφορὰς λέγειν ποιητικάς*, Aristot. Metaph. I. 23. Quem contra bene intellexit  
Cicero (de Invent. II. 1.) si quidem difficillimum illum, ab Aristotele non satis perceptum  
de ideis locum in incundissima narratione de Helene imagine ad quinque formosissimarum,  
quae apud Crotoniatas essent, virginum exemplum exprimenda repetere voluisse iudicandus  
est: non intellexit Seneca, qui Epist. 58, 15—18., quid sit *παράδειγμα*, et quid intersit  
inter illud et Platonis *ἰδέας* et *εἶδος* non satis percepit.

25) Tractavit nuper nobilissimam Platonis de animarum migratione doctrinam Ferd. Deycksius  
in libello scholastico a. 1834. Confluentibus edito, et *Platonis de migratione animarum  
doctrina* inscripto.

26) Vide Creuzerum in: *Symbolik u. Mythol.* Vol. III. p. 469. ed. 1812. Plotini (Enn. IV. 8.)  
verba repetentem, qui quidem subtiliorem *μετεγνωμάτωσιν* et crassiorem esse dicit, qua-

Totius autem doctrinae de animarum migratione fons et principium ex arcana Pythagoraeorum disciplina deducendum est<sup>27)</sup>. Qui altius eam repetere volunt, ii vel in Indorum patriam pedem referre debent. Quae autem quum omnibus temporibus gravissima visa sit, non potuit illa non exornari et amplificari optimis et praeclarissimis mythis, augeri eximia verborum, imaginum et quasi picturarum magnificentia, exsplendescere denique vividissimis coloribus ex ingenio vere poetico profusis. Dicuntur vero illi mythi praeente Olympiodoro *νεκυῖαι*. Quae quidem quum primum inter reliquos mythos Platonicos locum recte obtinere existimentur, qui de iis copiosius agere, et quid simile habeant, quid intersit inter eas, accuratius exposuerit, is quod operae pretium sit fecisse iudicandus est. Quod onus quum senserim quam sit grave, si meis humeris imposui, hoc non propterea feci, quod nova quaedam et fere inaudita me allaturum esse sciebam: sed sperabam fore, ut mea qualicunque opella discipuli nostri, quorum commodis et utilitati maxime serviendum erat, ad frugiferam Platonicorum dialogorum lectionem adducerentur<sup>28)</sup>.

Sunt autem tres imprimis Platonis de inferis fabulae, in Phaedone 107. D. sqq., in Gorgia 523. A. sqq., de Rep. X. 614. ad finem.

Nobilissimus est Phaedonis locus, cuius ratio fere haec est:

Homines aut pie et sancte vixerunt, aut male et improbe, aut mediocriter. Qui mediocriter vixerunt (*οἱ μέσως βεβιωζότες* 113. D.) h. e. qui neque insigniter improbi, neque eximie sancti et probi fuerunt, in Acherusiam paludem feruntur<sup>29)</sup>, eorum quae prave fecerunt poenas soluturi, recte vero et honeste factorum praemia accepturi. Qui prave et impie vixerunt, in loca Tartari inferiora, *εἰς τὸ τῆς τίσεως καὶ δίκης δεσμωτήριον* Gorg. 523. B., quae et φρονητὰ dicitur 525. A., abiiciuntur,

---

tenus animae aut in subtiliora corpora et leviora ferantur, aut crassioribus includantur. Verbum *μετενσωμάτωσις* pro vulgato *μετεμψύχωσις* ab ipso Plotino inventum est, quod una anima in plura corpora animantia devertere, non plures animae in uno corpore domicilium habere cogitandae sint.

27) Maximam inter Orphicorum vatum mysteria et Pythagoraeorum philosophorum commenta esse similitudinem cum aliis animadverterunt, tum Astius de *Vita et Script. Platonis* p. 158. In iisdem enim rebus eorundem verborum usus, v. c. *χάθαρσις*, *ἐν φρονητᾷ τίκται*, similium. Quod quidem Cicero Cat. Mai. 20. perperam *in praesidio et statione esse* verlit: est enim de carcere intelligendum; quemadmodum ipse Tusc. Disp. I. 31. Socratem negat vincula rupisse et e custodia aufugisse, sed eum exiisse dicit, evocatum a numine, ut a magistratu vel ab aliqua legitima potestate, vinculisque solutum.

28) De necyis cum multa disputata sint a viris doctis, dolemus tamen Augustum Arnoldium, qui eximio ingenii acumine et iudicandi subtilitate singulorum dialogorum descriptionem accurate exposuit, in iis interpretandis iusto breviorem fuisse lectoresque ad futuram operis sui continuationem ablegasse. Cf. L. L. p. 119. nota 8, p. 129. nota 18. De obscuritate *νεκυιῶν* copiose disputat Heynius in *Excursu XIII.*, Virg. Aen. VI. addito, p. 906.

29) *Πορευθέντες ἐπὶ τὸν Αχέροντα*. Verbum *πορεύεσθαι* sollempne de animarum in ius vocatarum profectione. Sic quoque Gorg. 524. A. ultimum hominum iter *πορεῖα* dicitur, accuratius de Rep. X. 615. A. η ὥπλο γῆς πορεῖα appellata.

unde nullus reditus<sup>30)</sup>. Quo tristissimo munere fungitur non ὁ ἐκάστον δαιμων<sup>31)</sup>, qui in ius vocat clientem sibi traditum 107. D., qui idem est ὁ προστεταγμένος δαιμων, 108. B., sed ἡ προσήκουσα μοῖρα, iubente necessitate, qua certis quibusdam temporum spatiis praeterlapsis ad debitam habitationem animae ducuntur<sup>32)</sup>. Qui autem ita peccaverunt, ut atrocia quidem commiserint, sanabilia tamen, et quos poenitet vitae anteactae, eos undae fluctuantes semper et aestuantes evomunt, et aut in Cocytum, aut in Pyriphleghontem proiciunt. Quorum iterum duplex genus est: qui graviora commiserunt, veluti οἱ πατριλοῦται καὶ οἱ μητριλοῦται, Pyriphleghonte abripiuntur<sup>33)</sup>, qui minora, ut οἱ ἀνδρόφοροι, Cocytu feruntur. Atque hi ad paludem Acherusiam delapsi porrectis manibus flebilique voce supplices precantur, ut sibi in lacum receptis maculas a vitiis conceptas abluere licet. Qua venia ab iis, quibus vim attulerant, accepta a malis liberantur, non impetrata autem emergendi e palude potestate, denuo abrepti in Tartarum anno praeterlapso novum cursum inchoant<sup>34)</sup>. Qui vero egregie vixerunt, ad puras evolant sedes et supernas illas regiones petunt, ubi omnia illustriora sunt et pulchriora. Horum autem genus aliquid prae ceteris excellit, eorum scilicet, qui philosophiae ope animum a corporis contagione avocarunt, a quibusunque sordibus humanis purgarunt, et, ut Platonis in Phaedro verbis utamur, ἀνακύπτοντι εἰς τὸ ὄντως ὄν<sup>35)</sup>. Hi ad pulchriora et splendidiora efferuntur domicilia, quae non facile est describere.

- 30) Similiter Gorg. 525. C. οὐ τὰ ἔσχατα ἥδικηκότες καὶ ἀνιατοι γενόμενοι atrocissimas poenas luunt τὸν δει χρόνον. Idem statuunt alii quoque philosophi in neocyis suis, v. c. Aeschines qui dicitur in Axiocho 21.
- 31) Suum quemque habere daemona sententia erat per totam antiquitatem propagata. Cf. Heindorf. ad Phaedon. 107. D.
- 32) Neque tamen Ἀνάγκη littera maiuscula scribendum erat, suadentibus Forstero et Fischero, qui fortasse memorie erant Ἀνάγκης de Rep. X. 617. E. verba facientis, quod ad Phaed. 295. recte, observante Stallbaumio post Wyttensbachium vel propter verbum φέρεσθαι fieri non potest: nihil aliud enim illud ἦν Ἀνάγκη, nisi quod 114. A. est τούτους δὲ ἐμπλεοῖν εἰς τὸν Τάρταρον Ἀνάγκη. Qui Plutarchum de Sera Num. Vindicta p. 91. ed. Wyttensb. legerant et Adrasteam meminerant Joyis et Necessitatis filiam esse, facile eo adduci potuerunt, ut hoc quoque loco diram Necessitatem numen aliquod divinum esse vellent. Est enim apud Plutarchum Ἀνάγκη, quae apud Platonem ή είμασμένη. Quin etiam Parmenides ap. Stobaeum Phys. 10. Ἀνάγκην et Άτανην eandem esse vult. Astius vero, quum in libro suo de Platonis Vita et Scr. p. 153. ita disputet, bis ihr die Nothwendigkeit die für sie bestimmte Wohnung anweist, ἐν<sup>2</sup> Ἀνάγκης legisse videtur.
- 33) Cf. de hac pietatis religione et de discrimine inter improborum hominum pravitates consti-tuto Kuhn ad Pausan. X. 28. p. 866.
- 34) His autem solis a iudicibus poena infligitur, αὐτη γάρ η δικη ὑπὸ τῶν δικαιοτῶν αὐτοῖς ξιάζῃ. 114. B. Quamquam enim ad unum omnes defuncti iudicium subeunt, neque quisquam est, qui illius auctoritatem infringere audeat, (nam vel οἱ καλῶς καὶ δυτῶς βιώσαντες non possunt non διαδικάσσεσθαι, quod est diiudicandum esse et diiudicatum se praebere 113. D.) iudices tamen suffragia ferre et sententias dicere audimus nonnisi de iis, de quibus, plu-rane bene an male fecerint, ambigitur.
- 35) Hoc emergere quasi ex palude, cuius tardis undis oppressae delitescunt animae, atque evolare  
2\*

Quae omnia quum egregie disputata esse videantur, tamen in illa descriptione loci inveniuntur, ubi philosophus obscuritatem narrationi suae data opera affudisse, aut quidquid in ea esse potest incerti vel ambigui, tollere noluisse iudicandus est. Nam quid status de loco Phaed. 107. D., ubi Daemon animas, quas aliquando sortitus erat, εἰς δὴ τινα τόπον, in locum nescio quem abducere dicitur. Plato enim, qui non multo post tenebrosa Tartari loca et fabulosas Inferorum habitationes tanta arte describit, non potuit ille hunc quoque locum accuratius definire, poeticis luminibus exornare et legentium quasi oculis proponere? Voluit igitur mythorum narratores, quales omni aetate extiterunt, imitari, qui aliquando aliquem aut regem aut heroa vixisse tradunt<sup>36)</sup>. Amat Plato ut ad incertum tempus referre, quae quo tempore facta sint aut omnino nescit, aut scire nihil curat, sic quoque incertis auctoribus tribuere ea omnia, quorum causae et rationes in obscuro latent, vel quorum argumenta probabilia afferre non potest. Ita Phaed. 108. C. ὑπό τίνος se aut audivisse aut persuasum habuisse dicit, qualis et quanta sit terra; nam suam sententiam, et quae sibi probabilia visa sunt, dicit, nullum autem habet suae narrationis auctorem<sup>37)</sup>. Atque qui Phaed. 108. C. τινὲς χρόνοι dicuntur, sunt certa quaedam tempora, sed non satis accurate descripta; sunt enim περίσσοις χρόνον πολλοὶ καὶ μακροί. Neque aliter intelligendi sunt εἴμασμένοι τινὲς χρόνοι Phaed. 113. A., quibus praeterlapsis animae in nova animantium corpora migrant.

Tota vero, quae est in Phaedone, ultimarum rerum descriptio nescio quo modo suaviter afficit legentium animos. Socrates enim moribundus solatium quaerit et certissima immortalitatis spe super imperfectam et tristem humanae vitae conditionem elatus delectatur aspectu mortis et exhilaratur melioris vitae et iucundioris mundi laetissima expectatione. Ab inquis accusatoribus pessimisque iudicibus e vita pulsus patriam iustitiae quaerit. Quam quum e terra ad astra escendisse intellexerit, ipse

---

ad sedes superiores frequentatur apud veteres. Nam praeterquam quod egregius Platonis locus de vera terrae superficie et de aethere cum aere comparato exprimitur a Luciano de Sacrif. 8. Vol. III. p. 81. ed. Lehm., ipse ille Lucianus Icaromen. 4. Vol. VII. p. 6. ed. Lehm. illud δυακύπτειν esse διαβλέπειν dicit, δυακύπτειν τε καὶ εἰς τὸ πᾶν διαβλέπειν ἐπεργάμην. Purarum enim animarum patria aether est, impurae autem et ad huius mundi voluptates propensae amant humida loca, propterea a sequioris aetatis philosophis Νάιδες νύμφαι dictae. Creuzer Symbol. u. Mythol. T. III. p. 452.

36) Similiter non multo post 108. C. εἰ δὴ τινὲς χρόνοι γένωνται. Comparat Heindorfius οἰχήσομαι δπιών εἰς μακάρων δὴ τινας εὐδαιμονίας 115. D., εἰςάγειν τὸν βουλόμενον οἷς ἔξεστιν εἰς δὴ τι δικαστήσιον. Polit. 299. C. Caeterum simili ratione de Rep. III. 411. E. Deorum aliquis hominibus musicam dedit.

37) Perinde est, utrum l. l. ὑπό τίνος πέπεισμαι an πέπεισμαι legatur; nam ambigitur de lectione. Accedit vero ad argumenta, quibus Wytttenbachius p. 295. suae edit. et Stallbaum. ad h. l. lectionem πέπεισμαι defendant, quod infra 108. E. Plato πέπεισμαι aperte dicit. Eadem de causa ex loco Phaedonis 109. A. veram philosophi sententiam, quae sit terra et qualis, volvaturne circa se ipsam, an quiescat suo loco, non facile eruitur.

quoque ex huius vitae tenebris ad splendidissimas Deorum immortalium sedes evolare cupit<sup>38)</sup>.

Sequitur mythus, qui est in Gorgia inde a 523. A. usque ad 527. A.

Ad iudicium egregie descriptum et ante oculos nostros positum nullo duce vocantur animae. Quae quum ipsae se diiudicandas praebuerint, in duas classes distribuuntur, eorum, qui bene vixerunt, οἱ δικαιῶς τὸν βίον διελθόντες καὶ ὄσιως, qui ad perpetuam felicitatem in beatorum insulis percipiendam mittuntur, atque eorum, qui pravi fuerunt et improbi, οἱ ἀδίκως καὶ ἀθέως βεβιωχότες, Gorg. 523. B., qui gravissimis suppliciis traduntur. Atque qui prave vixerunt, ii aut sanabilia peccata commiserunt, λάσιμα ἀμαρτήματα ἀμαρτύρουσι, aut insanabilia, οἱ τὰ ἔσχατα ἡδικηζότες καὶ διὰ τὰ τοιαῦτα ἀμαρτήματα ἀνίτοι γενόμενοι, 525. C.

Quae cum fere simili ratione disputata videantur, atque in Phaedone, ethicam tamen, quae in Gorgia est, animadvertiscandam esse arbitror supremi iudicii vim et potestatem. Nam qui poenis afficiuntur, aut ipsi emendantur et purgantur a vitiorum sordibus, aut aliis sua proponunt exempla, ut si non ipsi, alii tamen ad meliorem frugem redeant<sup>39)</sup>. Suspensi enim sunt in Orci carceribus, ut recens eo delatis suorum suppliciorum suaeque calamitatis praebent adspectum; tristissima autem est tyrannorum et potentissimorum quorumque magistratum conditio. Tam paucos scilicet Plato bonos et honestos homines esse dicit in eorum numero, qui magistratus fungantur aut publica negotia gerant, ut unius Aristidis, hominis privati, nomen, quippe cuius fama non solum apud Athenienses celebrata sit, verum etiam ad reliquos Graecos diffusa, omni laude ornandum et decorandum esse existimet.

Humanae pravitatis iudices constituit Aeacum, Rhadamanthum, Minoa<sup>40)</sup>, sanctissimos hominum monitores vitiorumque castigatores eosdemque suppliciis peccatoribus

38) Atque in ea re egregia illa et a multis observata coniunctio dicam an diversitas posita est Phaedonis cum Euthyphrone, Apologia et Critone, quod Socrates in Phaedone a fragilitate infirmitatis humanae vinculis solitus immortalitatis sensu iam in hac vita frui et divinae suae reipublicae civis factus esse videtur, in his autem dialogis pulcherrimam vitae suae terrestris exhibet imaginem. In Euthyphrone enim praefationis causa quale fuerit accusacionis argumentum, qui iudices, qualis demum Socrates ipse sapientiae magister accurate exponitur; in Apologia Socratem et ipsum se et philosophiam suam, ut civium mores corrigentem, castigantem, emendantem defendere audimus; in Critone autem talem sese exhibet civem, quales qui in quacunque civitate vivunt esse oportet omnes, omnia potius vel iniuriosissima et crudelissima subitum, quam facturum quidquam, quod contra leges sit. Cf. Arnold. I. I. p. 105.

39) Haec Socratis sententia aliis quoque locis a Platone laudatur, v. c. de Legg. IX. 854. D. Protag. 324. A.

40) In enumerandis ac recensendis iudicibus Plato parum sibi constans. Quum enim hoc loco tres esse iudices affirmet, quorum suam cuique attribuit provinciam iudicandi potestatem, in Apol. Socr. 41. A. quartum addit Triptolemum, Eleusiniis mysteris celebratum una cum magna heroum, qui pie sancteque vixerunt, multitudine. Quod cur fecerit, vix dici potest, nisi quis Platonem communis Atheniensium opinioni de summa Triptolemi dignitate indulgere

infligendis ipsos illos et alios quoque emendare cupientes; tum iudicio nos adesse iubet, supremo illi, quod apud Aegyptios de mortuis habebatur simillimo<sup>41</sup>), sed ad mores et consuetudines Atheniensium conformato<sup>42</sup>), et, quo maior inde fides acce-

voluisse arbitratur. Qui quum agros colere et semina spargere docuisset ideoque omnis societatis humanae auctor exstitisset et princeps, qualis in Eleusiniis mysteriis colebatur, leges quoque tulisse ferebatur, unde Ἱερουργός dictus est. Qui autem homines per agros fusos ac dispersos unum in locum congregavit eosque legibus ferendis ex feritate ad manu-studinem et iustitiam traduxit, quique ipse, sive Deus fuit, sive ab homine natus, primus virtute et consilio praestanti exstitit, (Cic. pr. Sextio 42, 91.) nonne is divinis illis iudicibus recte adiungebatur? Triptolemus autem in summo honore erat apud Athenienses, Cereris deliciae, qui agros arare docuerit, leges tulerit morumque disciplinam considererit. Creuzer *Symbol. T. IV.* p. 113. Alii alia de supremi iudicii iudicibus deque eorum dignitate et auctoritate referunt, ut Pind. Ol. II. 137. Virg. Aen. VI. 432. 566. Horat. Od. IV. 18. Stat. Theb. VIII. 28. Lucian. Dial. Mort. XX. Unde fit, ut de duobus tribusve iudicibus apud inferos constitutis ne Creuzerius quidem ingeniosissimus mythorum interpres, certi quid se afferre posse fatetur I. I. T. IV. p. 114. De Aegyptiaca nominis Rhadamanthi, fratris Minois, origine, de qua Zoëga de *Obelisc.* p. 296. suspicatur, recte dubitatur.

41) Mythus de iudicibus apud inferos ius exercentibus aliter tractatur ab Homero, aliter post Homerum. Homerus enim Od. XI. 568. fingit quidem Minoa iudicia apud inferos exercentem, sed illa ipsa iudicia eorumque rationem non describit. Verum quemadmodum sua quemque negotia, quibus in vita delectabatur, post mortem quoque tractantem facit, alias feras venantes, alias proelia et certamina bellica conserentes, ita quoque Minoa, iustissimum et peritissimum inter mortales iudicem, inferorum quoque iudiciis praecesse voluit. Rhadamantho autem Od. IV. 564. ut pio heroi, non ut homini iudicandi subtilitate et morum innocentia conspicuo in Elyso vivere contigit. At apud Pindarum Ol. II. 75. ed. Dissem. βούλεις ἐν δρῦαις Ραδαμάνθυος ὅν πατὴρ ἔχει Κρόνος ἑτοῖμον αὐτῷ πάρεδρον Rhadamanthus assidet ut summus herorum Θελανοθήτας Saturno regum more iudicium exercenti. Apud Virgilium vero Aen. VI. 431—433. Minos tamquam Romanus factus Romani iudicis partes sustinet. Index quaestionis sedet in tribunal et sortitur iudices; vocantur rei, docentur crimina, feruntur denique auditis litigantium orationibus sententiae. Rhadamanthus autem Virg. Aen. VI. 566. non index constitutus est in Tartaro aut magistratus quaestionem habens, sed Triumvirorum Capitalium, qui apud Romanos fuerunt, munere fungitur, sententias exsequitur, supplicia sumit, tormenta adhibet. Imperatoris autem Romani cognitionem exhibet Statius Theb. VIII. 21.

42) Nullus equidem dubito, quin Socrates supremi illius et sanctissimi iudicii formam ad sui temporis iudiciorum similitudinem descripscerit. Nam non possumus, si Rhadamanthum legimus iudicem constitutum fuisse eorum, qui ex Asia venirent, Aeacum autem eorum, qui in Europa essent, non cogitare de arbitris a civitate Atheniensium publice constitutis, διαιτηταὶ κληροτοτοί, qui non commutandi sunt cum διαιτηταὶ αἰρετοί, de quibus Hudtwalckerus in libro *de Diaetet.* p. 156 sqq. agit, a quorum sententiis nulla erat provocatio), viris vitae innocentia morumque integritate conspicuis, quinquaginta vel sexaginta annos natis, civium voluntate causas dirimere iussis, τῇ εὐθύνῃ obnoxii. Hi ut Aeacus et Rhadamanthus ἐν τῷ λειμῶνι vel ἐν τῷ τριόδῳ, locis publicis, veluti in templis responsa dabant. Atque ut Aeacus nonnisi Europaeos homines, Rhadamanthus Asiaticos in iudicio adesse iubebat, ita Atheniensium διαιτηταὶ nonnisi tribulum suorum causas decernebant. Quadraginta erant arbitri, quaterni ex singulis tribibus constituti. (Ulp. 172. A. ad Demosth. adv.

deret narrationi, Homericis coloribus expresso, quem et primum huius mythi inventorem laudat Gorg. 523. A. 525. D. et ipsum loquentem facit 526. D. Poenae enim gravissimae vel etiam atrocissima supplicia tamquam optima remedia adhibenda sunt animis prava valetudine laborantibus, quarum aliae periuriis aegrae sunt, aliae mendaciis et omni adulacionis genere contortae, aliae superbia elatae, aliae denique luxuria et intemperantia et omnibus libidinibus disfluentes Gorg. 525. A. Atque profecto opus erat severitate. Tanta enim erat apud Athenienses iudiciorum perversitas, ut qui atrocissima commisissent, hoc ita se facturos fuisse confiderent, ut nemo eos in iudicium vocare auderet, vel in iudicium adducti iudices se nacturos esse sperarent, quorum suffragiis facile a criminibus liberarentur. De qua re notissimus est locus apud Xenoph. Mem. S. IV. 21. τοὺς νπ̄ ἀνθρώπων κειμένους νύμους ἔντοι παραβαίνοντες διαφεύγοντι τὸ δίκην δίδονται, οἱ μὲν λανθάνοντες, οἱ δὲ βιαζόμενοι. Quem quum sua aetatis morem esse intellexisset, Plato de Rep. II. 424. ἀλλὰ δὴ τοὺς θεοὺς οὐτε λανθάνειν, οὐτε βιάσασθαι δύνατον affirmat. Quis autem non meminit, Erinnyas apud Soph. Elect. 1380. ed. Herm. ἀφύκτονς κύρας dici. Magis ad rem facit Plutarchus, qui neque magnorum quemquam neque parvorum, qui quidem male vixerunt, supremum iudicium effugere posse pronunciat de Sera Num. Vindict. p. 90. ed. Wyttben.

Cuius severitatis documenta quis non videt in gravissima Calliclis allocutione 526. D., ut nihil dicam de eo, quod 522. A. se non fabulam fingere, sed quae vere

---

Midiam 542, 15. ex emendat. Heraldi: ἡσαν δὲ τετταράκοντα, τέσσαρες καὶ ἑκάστην φυλὴν. Tanta mihi haec Atheniensium arbitrorum et Socrati iudicii similitudo esse videtur, ut Platonem Apol. Socr. 41. A. Triptolemum quartum indicem Triumviris illis propterea addisse suspicer, quod quatuor fuerunt ex singulis tribibus arbitri. Accedit quod utrique iudices, tum Iovis illi filii, tum Atheniensium arbitri et causas cognoscebant, et sententias fecabant, audiebant vero nonnisi reos ipsos. Orationes enim in arbitrorum consesso non magis habitae esse videntur, quam in supremo illo iudicio, nulla publice collocata clepsydra, nulli cum reis venisse amici sordidati. Cf. Hudtwalcker I. I. p. 81. n. 24. Neque hoc praetermittendum est, quod teste Poll. VIII. 10. (126) antiquissimis temporibus nulla causa coram iudicibus agi potuit, nisi quae ad Diaetetas delata erat. Omnium igitur causarum arbitri erant. Vide Hefsterum in libro: *Die athen. Gerichtsverfassung*, p. 277. Quum autem causarum a κληρωτοῖς διαιτηταῖς diiudicatarum nova disceptatio institui potuerit coram solitis iudicibus, quod ἐφείναι εἰς τὸ δικαστήριον dicebatur, defunctorum quoque res iterum cognoscit (ἐπιδιακοπέει) Minos (cf. Wachsmuth *Hellen. Alterthumsk. Th. II. Abth. 1. p. 311. 317. 338. 347.* Hefster I. L p. 280.), cui hanc ultimam iudicandi potestatem pater tribuit tamquam πρεσβεία. Atque hoc quidem ex imitatione Atheniensium. Erant enim τὰ πρεσβεία ea hereditatis pars, quae patre ita iubente filio natu maximo obtingebat praeter eam partem, quam reliqui filii accipiebant. Erant τὰ πρεσβεία genus δωρεῶν, quārum quibuscumque volebant per testamentum largiendarum patres familias habebant potestatem. (Wachsmuth I. I. p. 219. et quem ille laudat Demosth. pro Phorm. in Or. Att. ed. Bekker T. V. p. 219, 34.). Exhibit igitur Plato Iovis optimum et sanctissimum filium summa caritate prosequentis praeclaram imaginem.

sint enarrare expressis verbis dicit<sup>43)</sup>. Atque hoc ita Diis postremac aetatis hominum fata regentibus institutum esse ait 523. A., Homeril. XIV. 187. auctoritate. Quibus quo maior fides accedit, mittit Sisyphum, mittit Tantalum, gravissimas poenas apud inferos luentes, ne quis eum non vera narrare, sed fabulas fingere dicat, sed Archelaum nominat, Macedoniae regem, 525. D., quippe qui quum improbe vixerit pessimeque civitatem gubernarit, non possit non gravissimis affligi suppliciis<sup>44)</sup>.

Accedit, quod in ipsis poenis eadem est ethica vis et potestas. Nam gravissima est Socratis sententia, qua beatum esse negat qui iniuste agat, adeoque contendat miserum esse, qui iniuste faciat ita ut poenas luat, sed multo miseriorem illum, qui, quum improbe et iniuste fecerit, nullam solvat male factorum poenam. Gorg. 472. E. Atque ad eandem sententiam longa interposita argumentatione 507. D. redit et id imprimis curandum esse censet, ut repressa et fracta cupiditatum vi, qui iuste recteque vivere velit, temperantiam sequatur, intemperantiam autem fugiat quam possit maxime. Primum autem eo enitendum esse, ut ne opus sit castigatione; si vero utilis esse videatur aut cognato, aut homini privato, aut reipublicae admonitione quaedam, ut iniungatur poena et castigetur ille, qui beatus esse vult<sup>45)</sup>.

Cur autem tanta gravitate descriptum sit a Platone supremum illud iudicium, facile intelligimus, si, quod consilium ille in Gorgia litteris consignando secutus sit, apud animos nostros reputaverimus. Quum enim alias de levitate Atheniensium

43) De discrimine *μύθου* et *λόγου* disputavit Wytteneb. ad Plut. librum de Sera Num. Vind. p. 82.

Quum Plato in Phaedone 110. B. commemorato externo terrae habitu infera loca describere aggrediens *μύθον* mentionem faciat, ea omnia, quae praecesserunt, non *μύθον*, sed *λόγον* esse vult. cf. Phaed. ed. Wytteneb. p. 303. *λόγος* igitur proprius ad verum et ad historiae fidem accedunt. Sic Plato Gorg. 522. E. narrationem de regno Saturni inter tres filios partito et de summo defunctorum iudicio non *μύθον*, sed *λόγον* nominat. Similiter in Gorgia se non *μύθον*, sed *λόγον* proferre ita sibi persuasit, ut 524. B. ἐξ τούτων τῶν λόγων mortem nihil esse, nisi separationem animae a corpore sequi arbitretur. Addendi denique sunt, quos C. G. Jacob laudavit ad Luciani Toxarin p. 148.

44) Archelai mentio propterea iniecta multaque illa per totum dialogum contra reges iniustosque tyrannos opprobria ea de causa facta esse videntur, ut Plato liberet se a suspicione, captare se regum tyrannorumque amicitiam, in quam suspicionem apud imperitam multitudinem venerat. Vide de hac re Schleiermacherum in vernacula Platonis interpretatione Tom. II. Vol. I. p. 22.

45) Quo maior fuit hominis, dum in vita erat, negligentia in purganda anima a vitiorum maculis terrestrisque corporis contaminatione, eo graviora instabant apud inferos suppicia, aut igne, aut aqua, aut aere luenda. Quod iuste et aequo constitutum est. Contempserat enim lustrationes in hac vita sibi oblatas, repudiaverat remedia animae corporis contagione aegrotanti adhibenda. Praebebantur autem illa remedia in mysteriis Atheniensium (Phaed. 69. C.) imprimis in Lenaeis. Creuzer *Symbol. T. III.* P. 472. p. 333. n. 44. Servius ad Virg. Aen. VI. 740. Confer praeterea, quae Heynius in *Observ. ad Hom. Il. XV. 18. T. II.* P. 2. p. 9. annotavit, Virgilii in hoc genere poenae describendo fortasse ante oculos fuisse antiquissimum poenae genus, quale appareat ex Hesiod. Theog. 521. Hom. Od. XXII. 173. Atque etiam conferre iuvat Virg. Aen. VIII. 669. Laudantur mysteria a Cicerone de Legg. II. 14.

vanoque gloriae studio, quo post praeclaras victorias de Persarum regibus reportatas elati et coeco quodam furore abrepti nullam fere exteram gentem piae se aestimarent, domi autem, spreta iustitia, temperantia, moderatione iniustitiae, licentiae omnibusque cupiditatibus indulgere coepissent, vehementer questus esset (Gorg. 513—518.) civesque ab industria ad ignaviam et desidiam avocari doleret (Gorg. 515. E. sqq.), egregium aliquid iustitiae innocentiaeque exemplum in Triumviris illis ad ius dicendum a summo Jove constitutis proponere voluit. Non opus enim esse ostendit in tanta optimorum virorum integritate et sanctitate inani artis oratoriae ostentatione vel vana verborum cum arte compositorum titillatione; praeclusas habere illos iudices aures nec audire quidquam, sed videre eos et inspicere naturam animalium, quae detractis involucris omnibus et integumentis nudae ad ipsorum tribunal duderentur<sup>46)</sup>. Atque quo gravius Callicles, quum non amplius habeat, quo confugiat callidus interlocutor, τὸν οὐεῖττον τοῦ ἡττορος ἀρχεῖν καὶ πλεὸν ἔχειν oportere contendit, eo gravius quoque Socrates illorum hominum perversitatem vituperat, qui iustitiae adversari, iniustitiam autem defendere homine sapienti et philosopho dignum esse putant. Nam si qui omni pudoris et pudicitiae sensu extinto publice quorumlibet vitiorum duces sese et magistros profitentur, eosque demum bonos et beatos praedicant, qui libidinibus suis effrenatis indulgent, quod iudicium de istiusmodi hominibus haberi potest atrocis, quae graviora ipsis infligi supplicia. (Gorg. 491. C.) Et quum Socrate e vita sublato multi essent, qui tristissimam optimi et sapientissimi viri fortunam deplorarent, eumque nulla lege sceleratorum iudicium sententiis condemnatum esse clamarent, iudices finxit Plato tales, quales esse debent omnes, quales quidem illa aetate erant perpauci. Praeterea quum Socratem ea de causa venenum bibere iussum esse dicenter multi e rhetoribus et sophistis, quod contempta sua ipsorum arte, semper ludibrio ab ipso habita, dicendi copia et eloquentia defendi noluisse, illos ipsis in sapientissimorum Triumvirorum iudicium vocat praestantissimus Socratae disciplinae alumnus, quippe quorum gratia nequaquam captaretur ab iis, qui dicendi aliquam facultatem consecuti esse sibi viderentur.

Caeterum, quae in Phaedone est dicendi copia orationisque ubertas, eandem in Gorgia esse appareat. Nam nostris quidem oculis improborum corpora vulneribus lacerata, deturpata ulceribus, notata cicatricibus et vibicibus videmus, videmus pessimam conditionem animalium, quarum aliae claudae sunt, aliae surdae, videmus denique gravissimorum iudicium tribunalia, ad quae detractis vitiorum involucris nudae rapiuntur animae. Tum simili quadam ratione in Gorgia et Phaedone viam sibi facit princeps philosophorum ad describendum, qualis post hanc vitam futurus sit animalium status. In utroque enim dialogo quum habeat, quod de iniustitia hominum et pessimo eorum optima quaeque in lutum detrahendi studio queratur, atque

46) Nudos iudices de nudis animabus iudicare sententia tota antiquitate pervulgata. Nam prae-terquam quod Plutarchus de Sera Num. Vind. p. 92. 93. ed. Wyttens. locum Platonis ad unguem fere expressit, plurimi, v. c. Lucianus Catapl. 645. 24. (T. III. p. 219. ed. Lehm.) suos rivulos ex uberrimo illius fonte derivarunt.

timidi et ignavi hominis esse contendat, omnia perpeti vel tristissima et indignissima, modo ut in vita maneat, circumspicit, unde solatum veniat tanta miseriae. Quod quum in hac terra nullum esse intelligat, quo melius confugiat ex hac iniustitiae patria, quam in aeternam iustitiae sedem Deorumque immortalium consortium<sup>47)</sup>.

Tertius locus est in Libro X. de Republica 614. usque ad finem.

Er quidam Armenius ab inferis locis, ubi animarum iudicio adstiterat, humanae vitae redditus, animas proborum dextrorum ad coelum, improborum sinistrorum ad Orcum inustis anterioribus ipsorum partibus certis quibusdam signis missas esse narrat, peccatorum decuplam solutas poenam, benefactorum decupla accepturas praemia. Iter deinde illis mille annorum per decem periodos centenorum annorum descriptum suscipiendum esse, quo rite peracto nova inchoanda sit vita. Quam quum ipsae sortiri iubeantur a Parcis, summa opus esse prudentia; eligere plurimas eandem, qua antea usae sint, vitam, certe similem. Sic Orpheus cygni speciem induisse, Thamyris luscinii, Aiacem factum esse leonem, Agamemnonem aquilam, Ulyssem autem delituisse sub ignobilis hominis forma. Sed optimam et felicissinam eorum sortem esse, qui recte philosophati sint. Quemadmodum autem in Phaedone terram describit, qualis profecto est, ita in hoc dialogo verum coeli habitum atque naturam depingit. In qua descriptione manifesta sunt Pythagoricae sapientiae vestigia, cum qua, dum Syracusis vivebat hospes et saepe in Italiam devertebat, interiorem contraxerat familiaritatem<sup>48)</sup>.

Alia praeterea leguntur tum Orientalium, tum Pythagoraeorum philosophemata. Orientales enim gentes probos credunt ad coelum ascendere, pravos vero ad inferos deferri. Itaque prudenter quum orientalium populorum sententias de statu defunctorum proferre vellet, hominem e Pamphylia ortum narrantem facit et Aridaei, qui urbis Pamphyliacae gubernacula tenuerat, calamitosam sortem describentem fingit.

47) Nonnulla, quae in Phaedone obiter attinguntur, in Gorgia accuratius descripta leguntur. In Phaedone enim defunctorum animae perveniant εἰς τὸν τόπον οἵ δαίμονες ἐκαστον χορίζεται 113. D., in Gorgia 524. A. autem ille ipse locus δὲ λειμών dicitur, η τόπος εξ ής φέρετον τῷ δύω πτλ., in quo prato animas alias sedes petentes septem dies commorari fingit de Rep. X. 616. B., quia libi campus veritatis dicitur, quippe in quo φεύσασθαι διηγανον. Atque illud pratum 614. C. minus accurate dicitur esse τόπος τις δαιμόνιος, qui tamen locus, cum 614. E. δὲ λειμών dicitur, ut locus celeber omnibusque satis notus designatur. Praeterea corpora defunctorum, ut mortuorum umbrae et simulacula, ad eorum corporum, quibus in vita fruebantur similitudinem descripta, et, ἐπὶ τινα χρόνον saltem, pristinam humani corporis imaginem ita exhibentia, ut qui comam nutritisset in vita, eius etiam umbra χομῆτης esset (Gorg. 524. C.), multum abhorrent a puriori Socratis in Phaedone descriptione, ubi animae loquuntur quidem, et orant, et alta trahentes suspria precantur, corpora autem conspicienda nulla praebent. Atque in hac quoque re Homerum imitatur, apud quem, qui ad inferos descendunt, cognoscunt ii primo aspectu defunctorum umbras cum iisque colloquuntur.

48) Quae cum aliorum sententia, tum imprimis Duumvirorum fuit egregie de Platone meritorum, Astii in libro: *de Vita et Scr. Plat.* p. 354 sqq. et Stallbaumii in *Prolegg. ad Plat. Rempublicam p. LXV*. Quae vero illi coeli terraeque descriptioni offusae inveniuntur nebulae, eae nonnisi ab iis dispelli possunt, qui, quidquid obscuri est in Pythagorae de mundo eiusque ordine doctrina, explicare valebunt.

Atque quum Politiam post itinera in Siciliam suscepta scriptam esse constet, sub imagine Aridaei, qui easdem partes agit, quas in Gorgia Archelaus, Dionysii Syracusanorum tyranni ingenium expressum esse nulla est dubitatio. Ab Oriente denique inventae sunt illae per animantia corpora migrationes, in quibus Plato parum sibi constans est<sup>49)</sup>. Quid quod eo fortasse referri potest nimis subtilis eorum quoque commemoratione, qui statim ac nati sunt, decessere, aut breve tempus vixerent. De Rep. X. 615. C.<sup>50)</sup>.

Reliqua, quae ad ornatum externum pertinent, non minus ingeniore inventa sunt, quam pulchre et copiose enarrata. Adsunt viri ignei, gurgitum, inter quos iudicium tribunalia collocata, custodes, qui corripunt eos, quibus nefas est adire superas Deorum sedes, et abducunt eos, aut manibus pedibusque constrictos maleque habitos abiciunt humum, ut sint πυραδεῖγματα. Ad haec exemplaria, quae in Gorgia quoque locum suum habent, saepe reddit philosophus, in ea re summo opere laudandus. Nam quicunque extiterunt priscis temporibus sapientissimi legum latores clarissimique civitatum conditores, ut Lycurgus, ut Solon, ut Charondas et Zaleucus, non satis habebant, externam quandam civium utilitatem tueri eorumque securitati prospicere et incolumenti, sed politica prudentia cum doctrina morali virtutisque disciplina coniuncta, ad quam vix quidquam exemplis efficacius esse potest, felicitatis et in hac vita et post mortem etiam adipiscendae auctores fieri volebant. Praeterea in his quoque Platonem Pythagoricae sapientiae alumnus fuisse apparet. Sirenes enim singularis orbibus (de Rep. X. 617.B.) tributae, quum suam quaeque vocem emittat, omnes vero octo unum efficiant concentum, quis non videt Pythagorae octochordon musicum, quod harmoniae octo coeli sphaerarum respondet, repetitum esse a Platone, sed ornatum, sed amplificatum, sed ad Socratis amicorum, h. e. elegantiorum hominum iudicium accommodatum<sup>51)</sup>. Quid autem est, quod pulchrius excogitari vel splendidius describi possit, quod quidem Plato ex suis ditissimis copiis addidit, quam Necessitatis filias, candidis vestibus indutas, vittis capita cinctas, accidentes Sirenū concentui res quae sunt, quae fuerunt, quaeque futurae sunt.

Iam vero quum hoc reliquum sit, ut demonstremus, quo vinculo mythus, qui est in Republica, cum totius operis Platonici descriptione cohaereat, non opus est veterem illam controversiam de vero Platonis in Politia scribenda consilio atque

49) Sic quoque Virgilius Aen. VI. 748. 749., qui Platonem fere expressit:

Haec omnis, ubi mille rotam volvere per annos,  
Lethaeum ad fluvium deus evocat agmine magno.

Quo seriores sunt poetae, eo longior fit migratio. Pindarus apud Platonem (Menon p. 81.B.) novem annos constituit (Cf. Pindari Thren. 4, 2. et Dissen ad h. I. Vol. II. p. 651.); at Ol. II. 68. ed. Dissen. animas vita humana ter egregie peracta ad Beatorum insulam mittit. Cf. Dissen ad h. I. Vol. II. p. 35. Placuit autem Platonii in eiusmodi rebus numerus ternarius. Phaedr. 249. A. Silius Ital. XIII. 558. Virgilii annos in Istra mutavit.

50) Ex certissima conjectura Stallbaumi cum Astio ἀποθανόντων post γένους excidisse suspicantis.

51) Amabant enim Pythagorae placita sua imaginibus ei formulis e re musica aut ex mathematicis disciplinis repetitis exprimere, ut qui etiam virtutem harmoniam appellabant. Diog. Laert. VIII. 33. Ast. de Vita p. 163.

ratione, agitatam illam nostra quoque aetate ab omnibus Platonicae philosophiae interpretibus atque enarratoribus renovare. Nam si veteres fere omnes de optimo ci-vitatis statu in his libris disputari censemant, non defuerunt, qui post doctas Morgensternii de Platonis Republica commentationes Halis 1794 editas, in quibus ille iustitiam universamque virtutis naturam a Platone descriptam esse exposuit, postque elegansissimam Schleiermacheri, qui nostrae aetatis διπλατωνικότατος recte habetur, interpretationem vernaculam, qui tota disputatione omnia ad utilitatem iustae atque honestae vitae ita referri opinatur, ut, quaecunque eo non pertinere videantur, ea a summo operis consilio aliena iudicanda sint, unanimi totius fere antiquitatis consensui adversarentur. Mirifice autem in constituenda vera huius *repu-tatio* adiuvainur, si utroque consilio inter se coniuncto et arte copulato Platonem id imprimis egisse censemus, ut notionem iustitiae, reliquarum virtutum, sapientiae, fortitudinis, temperantiae matris atque genitricis, exhibere voluerit, qualis in hominum vita tum publica, tum privata adeoque in civitate, quae si non iustissima est, non potest esse optima atque perfecta, conspicua fieri debeat. Si quis vero miratur, quod investigata optima civitatis ratione, de singulorum hominum virtute et perversitate aut praemiis ornanda, aut poenis castiganda disputatione instituitur, is virtutis disciplinam a politica doctrina avelli non posse considerabit. Atque vereor ne esse possit civitas bene instituta, quae non sit honorum civium. Nam non ex arboribus vel saxis nascuntur et conformantur respublicae, inquit Plato, verum ex moribus eorum, qui in civitatibus vivunt<sup>52)</sup>. Quis denique non videt, totum librum, qui a laudanda iustitia initium habuit, commode ita finiri, ut quemadmodum illa honoribus et praemiis ornetur, iniustitia contra dedecore et poenis afficiatur, splendidissimo doceatur mytho eoque ita comparato, ut Eri, quae ipse viderit et audierit, narranti, nullam non possint habere fidem, quicunque audiendis eiusmodi aut philosophorum narrationibus aut poetarum fabulis adsueverant.

At Plato, ut in Gorgia, ita in hoc quoque politiae exordio nimis severus alicui videri potest, ne dicam crudelis. Sed cogitet ille, precor, miseram et perturbatam, quae tum erat, reipublicae Atheniensis conditionem. Tantam enim nationis Sophistarum sapientiam venditantium et rhetorum, multitudinis gratiam adulandi arte aucupantium, auctoritatem fuisse legimus, ut depravata et perversa omni recti et honesti notione, quippe qui de unaquaque re in utramque partem se disputare posse affirmarent, quod sibi placeret, virtutem, quod ipsi improbarent, vitium esse clamarent. Aegrotanti igitur et a pessimo hominum nonnisi lucri studio ductorum male habitae civitati graviora adhibenda erant remedia. Nam quid peius, quid perniciosius cogitari potest, quam homines, qui iniustiam multum valere dicant ad bene beateque vivendum, iustitiam vero et ipsam esse generosam stultitiam (*γεραιαν εὐήθειαν*) et iustissimo cuique maxime nocitaram. De Rep. I. 343. C. 348. D. II. 358. C. Quem tristissimum reipublicae statum tanto dolore deplorat tantaque vituperat acerbitate, ut, qui ab omnibus Athe-

52) De Rep. VIII. 544. D. οὐδὲ εἰ δρυός ποθεν οὐ εἰ πέτρας τὰς πολιτείας γίγγεσθαι, αλλ' οὐχὶ εἰ τῶν ηθῶν τῶν εἰ τὰς πόλεσιν;

niensibus optimi reipublicae cives celebrabantur et heroum fere numero adiungebantur, Miltiades, Cimon, Pericles, ut ne eos quidem saluti civitatis recte consuluisse (Gorg. 516.D.) et non prodesse, sed obesse plurimum eiusmodi civitatum gubernatores dicat Gorg. 517. B., nihil curans aequalium de summis viris opinionem, ex quibus Isocrates (*περὶ ζεύγ. p. 352.*) Periclem omnium iudicio et prudentissimum, et iustissimum, et sapientissimum fuisse dicit<sup>53)</sup>. Quocirca cum optimi cuiusque civis esset adversari pestiferis illorum hominum opinionibus, Plato quoque cupiditatem illorum incorrupta supremi iudicii sanctitate reprimendam, libidines illorum gravissima divinorum iudicium auctoritate coercendas esse censebat. Quum autem virili aetate, postquam multorum aliorum opinionibus cognitis suas sententias animo explicatas argumentisque confirmatas habuit, libros de Republica conscripsit atque in iis conscribendis e superioribus dialogis alia in memoriam revocarit, alia amplificarit, alia confirmarit, quod optimum et certissimum de rebus post mortem futuris sibi visum sit, id in hoc reipublicae exordio expressisse existimandus est.

Iam vero reliquum est, ut, quaecunque Plato statuerit de ultimis hominum rebus deque supremo defunctarum animarum iudicio quantum fieri potuit accurate enarratis et inter se comparatis, ea quoque universa recensemus, quae de vera terrae coelique natura disputationibus suis addidit. Veteres notiones, quas nos quidem abstractas appellare solemus, non satis habentes solis mentibus percipere, sed cupientes suis oculis eas quasi intueri et contemplari, omnibus, quae cogitatione fingebant, corporum quasdam quasi species et simulacula attribuentes, animis migrantibus et aut ad superas sedes evolantibus, aut ad infera loca detrusis certum cursum praecipere et viam docere debebant. Quis enim Erem prodigiosam in Beatorum patriam profectionem narrantem audivisset, nisi idem, viae ambagibus itinerisque laboribus et locorum situ accurate expositis, verbis suis fidem fecisset. Hic enim poetarum mos erat, post immortalia Homeri carmina ab ipsis ad antiquissimos veterum historiarum enarratores translatus. Quid igitur mirum, quod philosophi quoque ad poetarum exemplaria miraculosas animarum migrationes spectantium oculis quasi subiicere, locorumque, quae per agranda essent, situm, montium altitudines vel vallium declivia, vel pratorum amoenitates, vel fluviorum luc illuc decurrentium strepitus, vel speluncarum tenebras, vel denique Tartari tristitiam et deformitatem describebant. Premebant in eiusmodi descriptionibus veterum philosophorum vestigia, non ita quidem, ut eadem iisdem verbis redderent, aut unum semper eundemque poetam praeceuntem sequerentur, sed priscae aetatis commenta suis consilio adhibentes modo hunc ducem atque magistrum, modo illum.

53) Nihil igitur mirum, quod, rebus Atheniensiam ita desperatis, optimi cives suae patriae taedio capti aliorum populorum, imprimis Lacedaemoniorum, instituta laudare cooperunt, non quo meliora illa omnia haberent, sed quod, quidquid apud ipsos erat pravi et perversi, bene intelligebant. Quo factum est, ut cum illi, tum imprimis Xenophon et Plato in suspicionem τοῦ λακωνιζεῖν venirent. De qua re vide, si tanti est, Schleiermacherum in Praefatione in vernaculam Gorgiae interpretationem T. II. Vol. I. p. 21. 22. Neque tamen defuerunt, qui nimis tristem ac lugubrem reipublicae conditionem a Platone descriptam esse existimarent et sapientissimum hominem pessimum cīvēm esse contenderent. Vide Arnoldium I. I. Fascicul. I. p. 43.

Quas vero Plato neceyiis suis verae terrae verique coeli adiunxit descriptiones, eae, quamquam a consilio vaticinantis quasi poetae absone non sunt, verum optime cum totius operis consilio cohaerent, ad futuram animarum defunctorum sortem aut felicem atque beatam, aut tristem et miseram certius constituendam nihil faciunt, verum gravissimae sunt ad fidem Platonicæ narrationi comparandam. Horum autem mythorum duplex ratio est. Alii enim res terrestres et coelestes describunt, quales sunt, et quasi geographicæ esse videntur, ut in Phaedone descriptio eorum, quae in superis terrae regionibus sunt, vel in Republica rerum coelestium in beatiore mundo expositio, alii autem narrant, quod sit, et historicæ sunt, v. c. ipsæ illæ *reverat*. Utrumque genus ita interdum inunctum reperitur, ut ab altero ad alterum transitus fiat, veluti Phaed. 112. E., ubi, finita illa tristissima imae terrae descriptione, post quattuor fluminum apud inferos labentium et *αιώνας* (Phaed. 111. E.), qua omnia terrestria moveri dicuntur, commemorationem animus ad Acherontis ripas deducitur. Neutquam autem illis mythis, quos geographicos esse diximus, ea est adhibenda diligentia, ut omnia aut calamo pœta, aut coloribus expressa et ut in tabula quadam geographicæ descripta velimus. In his imprimis philosophorum poeta ingenio indulget, nec ubique poeticae, quam dicunt, veritatis memor, furore poetico se abripi patitur ultra fines a ratione constitutos. Non multi enim erunt, qui Platonem terram inferam describentem tristemque et horridam Orci imaginem exhibentem sequi valeant recteque eum intelligent<sup>54)</sup>. Ita enim e veteribus existimavit Aristoteles Metereol. II. 2., e recentioribus praeter alios multos Stallbaumius ad Platonis locum Phaedonis 111. D.<sup>55)</sup>. Neque alia ratio

54) Heynus in Excursu IX. ad Virg. Aen. VI. 296 sqq. edito (Tom. II. p. 892.) Iubens fatetur, se Platonem, quamvis sine ulla dubitatione vetustiorum Theologorum, v. c. Hesiodi Theog. 140., vel quicunque primus versus Hesiodo Theog. 807 — 819. attribui solitos cecinit, inventa exhibentem, non intelligere nec notionem satis claram talis locorum situs habere. Virgilium autem in sua inferorum descriptione tum Homerum, tum Platonem secutum esse, quis non videt.

In Axiocho verbi causa, altero dialogo Socratis, qui sub Aeschinis nomine circumfertur, sub finem est aliqua in describendis fluviosis, qui Platonis regna adituri traiiciendi sunt, diversitas.

55) Vix enim quisquam praeter Wytténbachium in editione Phaedonis p. 309. et, quem secutus esse videtur, Olympiodorum Cod. I. p. 157. Platonii nimiae diligentiae gratias habebit, quam in describendis aut latioribus et profundioribus, aut profundioribus iisque angustioribus, aut latioribus et minus profundis cavitatibus vel lacunis nostræ terræ exhibet. Quid quod Wytténbachio, quartum secessuum vel anfractuum genus, brevium scilicet illorum eorundemque angustorum desideranti, ne satis quidem diligens esse videtur. Verumtamen eodem Wytténbachio indicante quatuor in diversas partes labentium fluviorum descriptio nimis difficultis est et implicita. Platonem ita describentem in Aristotelis reprehensionem venisse supra diximus, qui I. 1. τὸ δὲν τῷ Φαιδὼν γεγαμένον περὶ τε τῶν ποταμῶν καὶ τῆς θαλάττης ἀδύνατον εἴρει apertis verbis dicit. Nemo autem dubitat adiicere Stallbaumio cum Heindorfio τὸ χάρακα αὐτῷ pro αὐτῷ emendant̄. Nam quod Wyttēb. I. 1. de usu Atticorum pronomen αὐτὸς abundanter nomini praecesso addentium dicit, id exemplo e Xenoph. Cyrop. I. 3. 15. petitio vereor ut omnibus probetur; αὐτῷ enim illo loco nomen τῷ πάπλῳ nimis remotum cum vi repetit. Verum dubito ubique Platonem recte intellectum esse ab Aristotele. Locum enim Phaed. 111. D. de fluviosis e Tartaro prorumpentibus iisdemque rursus in eun-

est eorum, quae de altero bonorum et piorum patria in Lib. X. de Rep. narrat<sup>56)</sup>. Nonnumquam Plato ipse desperat se recte describere verbisque exprimere posse mythicorum locorum rationem et naturam. Hoc ingenne fatetur de coelestibus Beatorum sedibus, ἀς οὐτε φέδον δηλώσαι οὔτε δικόνος ἵκανος εν τῷ παρόντι. Phaed. 114. C. Itaque non vult indubitatam fidem adhiberi mythicis suis narrationibus. Tantam enim esse dicit naturae humanae fragilitatem humanorumque oculorum caecitatem, ut non omnia adspiciamus qualia sint, et ut pro rebus ipsis rerum umbris contenti esse debeamus. Neque ipsum tanto operi se idoneum futurum esse fatetur (ζει ἐγώ οὐδὲν οἶδεν τε εἰην Phaed. 108. D.), pro certo vero confirmare, omnia ita se habere, quemadmodum ipse ea descripscerit, prudentis viri esse negat (οὐ πρέπει νοῦν ἔχοντι ἀρδεῖ 114. D.) At vero opus esse dicit homine dignum effingere cogitatione, quidquid ratiocinando assuequi difficile sit<sup>57)</sup>. Haec descriptionis obscuritas aut sponte nata aut data opera narrationi affusa multorum variorumque commentorum mater facta est et genitrix. Prout enim quisque doctior esse et plura intelligere sibi videbatur, aut plura in Platonis verbis inveniebat, aut originem eorum altius repetebat. Fuerunt igitur, qui quattuor illa flumina ex Orphicis fabulis duderent<sup>58)</sup>, Platonemque alterum quendam Orpheam esse vellent, ut Olympiodorus, aut ea quattuor elementis accommodarent, ut Proclus, qui quamquam Platонem ab Homero descriptionis suae prima stamina accepisse probe sciens tamen, ut est hominum sapientia, flumina illa non solum accurate distribuit per sedes inferas, et singulos ad singulas orbis terrarum regiones undas suas volvere iubet, verum etiam varias animi humani vires et affectiones fluviorum illorum specie et imagine designari putat<sup>59)</sup>.

Verum non est, quod ex orientalium populorum religionibus omnia, quae Platonis sunt, derivemus aut ab Ionicorum vel Pythagoraeorum philosophorum principis philosophiae universam sapientiam repetamus. Plurima enim aut notissimis Homeris mythis mythicisque descriptionibus superstruxit, aut ex ditissimis divini vatis opibus suorum inventorum argumenta sumpsit, quod vix dici potest, quantum fecerit ad fidem suarum opinionum et augendam et corroborandam. Ex eo genere est Tartari descriptio, quam non a se inventam, sed ab Homero acceptam declarat, usus ipsius Homeri verbis ll. VIII. 14.

dem se immittentibus Aristoteles ita interpretatur, ut inde res eruat prorsus sibi repugnantes, id quod Wyttēnb. p. 314. et Stallbaumius ad h. l. viderunt.

56) Scio equidem, de omnibus, quae in illa descriptione obscuriora esse possunt et ad intelligendum difficultiora tum Astium in Commentariis, tum Schleiermacherum in annotationibus, tum Boeckhium in libro peculiari de Platon. Systemate Coelest. Globor. disputavisse et egregie disputavisse; vereor tamen ut in expediendis loci difficultatibus omnium assensum ferant viri doctissimi.

57) Phaed. 114. C. ταῦτα γάρ τὸ ἀθλον ται οἱ Ἐλπίς μεγάλη, sententia in simili arguento cum ab ipso Platone de Rep. X. 516. C., tum ab aliis laudata.

58) Ad hanc sententiam fortasse eo adducti, quod Platонem Phaed. 113. D. οἵς οἱ ποιηταὶ λέγουσι dicentem non de uno poeta reliquorum principe, aut de suae aetatis poetis, sed de priscis illis mythicorum temporum vatis loqui putabant. Qua de causa recte Plato in initio mythorum formula solemnī γαστι utitur, quod fere in proverbium abiit. Gorg. 523. A.

59) Platon. Phaed. ed. Wyttēnb. p. 316.

τῆλε μάλισται βάθιστον ἐπὸν χθονός ἔστι βέρεθρον.

Quid quod suis mythorum narrationibus vulgi de illis opinionem emendare voluit<sup>60)</sup>. Mythicorum autem fluviorum, iudicium, aliorum, nomina etsi ad rem nihil sere faciunt, ad ornandas tamen res mythicas magnam habeut vim. Quae nomina enim quum poetarum carminibus sacerdotumque responsis vulgo nota essent, hoc imprimis efficiebant, ut audentes et legentes non in terras ignotas densisque tenebris obrutas abduci sibi viderentur, sed in sua quasi patria et domi versari putarent. Accedit quod in ipsis fluviorum, stagnorum, paludum nominibus naturalis quidam color est et magna ad movendos hominum animos efficacia. Quid enim Acheronte lamentabilius, Cocytus flebilis, Pyriphlegethone terribilis dici aut cogitari potest? Et si quis Lethen audiebat, nonne ipso nomine terrestrium rerum oblivione capiebatur? Neque tamen nullis temporibus erant, qui in his physicis alterius mundi descriptionibus Platonem si non poetica quadam insania perquam incunda incitatum delirasse, tamen somniasse dicerent. At videant ii, ne dixerint, quod dixisse poeniteat. Nam etiam nostra aetate, qua physica fere omnia doctissimorum virorum diligentia et subtiliter investigata et accurate explorata sunt, Goethius Platonis acumen iudicandique subtilitatem in eiusmodi quoque rebus summis laudibus dignam esse existimavit<sup>61)</sup>.

Quae quum ita sint, si quis mythicas Platonis narrationes non temere inventas esse fatetur, is non potest non summum pretium et auctoritatem iis imprimis fabulis attribuere, quibus gravissima de migratione animarum doctrina et quaecunque de Beatorum insulis, de poenis apud inferos luendis, de supremi iudicii severitate docentur, non solum hominum vulgarium intelligentiae accommodantur, verum etiam ex intimis humani animi sensibus repetuntur. Quid quod utilissimum putavit idearum pater philosophemata sua iis, quae vulgo de Diis, humanae vitae rectoribus, de animarum defunctarum statu et conditione, de supremi iudicii iudicibus credebantur, tamquam fundamento alicui theologicō superstruere<sup>62)</sup>. Et ne fabulas quidem a multitudine inventas et vulgo creditas, v. c. de animabus, quae nimia δρακοντών τόπον cupidine detineantur, circa sepulera sua volitantibus, repudiavit. Phaed. 81. D.

Quibus recte consideratis non facile aliquis mythos illos temere disputationi adiunctos aut nonnisi ornatus causa inventos esse dixerit. Contra quemadmodum, qui mysteriis initiari volebant, non statim ad interiora sapientiae penetralia admittebantur, sed quum diu in sanctissimi templi limine consedissent, tum demum veritatis intuendae (τῆς ἐποπτείας) veniam accipiebant, ita quoque philosophiae Platonicae alumnorum nonnisi ii, qui philosophando et meditando de rebus divinis et humanis pectus habebant bene praeparatum, ad reconditam illorum mythorum sapientiam recte intelligendam perveniebant.

60) Vix necesse esse videtur, ut lectores moneamus, quam prudenter Telephi Aeschylei fabulam suis consiliis adhibuerit Phaed. 108. A.

61) In iis verbi causa, quae de Colorum vi ac natura scripsit Goethius *Opp. LIII. p. 21.*, collatis iis c. *Vol. XXIII. p. 253.*

62) Qua re Schleiermach. T. II. Vol. I. p. 488. adn. ad p. 160. se eorum opinioni adversari negat, qui prudenter a Platone factum esse arbitrantur, ut supremum iudicium, quod in Gorgia legitur, tale sit, quale vere esse a plurimis credebatur.